# EVCLIDIS
## ELEMENTORVM LIBRI XV. GRAECE ET LATINE,

*Quibus, cùm ad omnem Mathematicæ scientiæ partem, tùm ad quamlibet Geometriæ tractationem, facilis comparatur aditus.*

Ἐπίγραμμα παλαιόν.

Σχήματα πέντε Πλάτωνος, ἃ Πυθαγόρας σοφὸς εὗρε.
Πυθαγόρας σοφὸς εὗρε, Πλάτων δ᾽ ἀρίδηλ᾽ ἐδίδαξεν,
Εὐκλείδης ἐπὶ τοῖσι κλέος περικαλλὲς ἔτευξεν.


COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LXIIII.

# AD CANDIDVM LECTOREM ST. GRACILIS præfatio.

PERMAGNI *referre semper existimaui, lector beneuole, quantum quisque studij & diligentiæ ad percipienda scientiarum elementa adhibeat, quibus non satis cognitis, aut perperam intellectis, si uel digitum progredi tentes, erroris caliginem animis offundas, non ueritatis lucem rebus obscuris adferas. Sed principiorum quanta sint in disciplinis momenta, haud facilè credat, qui rerum naturam ipsa specie, non uiribus metiatur. Vt enim corporum quæ oriuntur & intereunt, uilißima tenuißimáque uidentur initia: ita rerum æternarum & admirabilium, quibus nobilißimæ artes continentur, elementa ad speciem sunt exilia, ad uires & facultatē quàm maxima. Quis non uidet ex fici tantulo grano, ut ait* Tullius, *aut ex acino uinacco, aut ex cæterarum frugum aut stirpium minutißimis seminibus tantos truncos ramosq; procreari? Nam* Mathematicorum *initia illa quidem dictu audituq; perexigua, quantā theorematum syluam no-*

 *bis*

bis pepererunt? Ex quo intelligi potest, ut in ipsis seminibus, sic & in artium principijs inesse uim earum rerum, quæ ex his progignuntur. Præclarè igitur Aristoteles, ut alia permulta, μέγιστον ἴσως ἀρχὴ παντὸς, καὶ ὅσῳ κράτιστον τῇ δυνάμει, τοσούτῳ μικρότατον ὂν τῷ μεγέθει χάλεπόν ἐστιν ὀφθῆναι. Quocirca committendum non est, ut non bene prouisa & diligenter explorata sciẽtiarum principia, quibus propositarum quarumq; rerum ueritas sit demonstranda, uel constituas, uel constituta approbes. Cauendum etiam, ut ne tantulum quidem fallaci & captiosa interpretatione turpiter deceptus, à uera principiorum ratione temerè deflectas. Nam qui initiò fortè aberrauerit, is ut tandẽ in maximis uersetur erroribus necesse est: cum ex uno erroris capite, densiores sensim tenebræ rebus clarissimis obducantur. Quid tam uarias ueterum physiologorum sententias, non modò cum rerum ueritate pugnantes, sed uehementer etiam inter se dissentiẽtes nobis inuexit? Equidem haud scio fueritne ulla potior tanti dißidij causa, quàm quòd ex principijs partim falsis partim non consentaneis ductas rationes probando adhiberent. Fit enim plerunque, ut qui non rectè de artium rerumq; elementis sentiunt, ad præfinitas quasdã opiniones suas omnia reuocare studeant. Pythagorei, ut meminit Aristoteles, cum denarij numeri summam perfectionem cælo tribuerent, nec plures tamen quàm

nouem

nouem sphæras cernerent, decimam affingere ausi sunt terræ aduersam, quã ἀντίχθονα appellarunt. Illi enim uniuersitatis rerumq; singularum naturam ex numeris ceu principijs æstimantes, ea protulerunt quæ φαινομένοις congruere nusquam sunt cognita. Nam ridicula Democriti, Anaximenis, Melißi, Anaxagoræ, Anaximandri, & reliquorum id genus physiologorum somnia, ex falsis illa quidem orta naturæ principijs, sed ad Mathematicum nihil aut parum spectantia, sciens prætereo. Nonnullos attingam, qui repetitis altiùs, uel aliter ac decuit positis rerum initijs, cum in physicis multa turbarunt, tum Mathematicos oppugnatione principiorum peßimè mulctarunt. Ex planis figuris corpora constituit Timæus: Geometrarum hic quidem principia cuniculis oppugnantur. Nam & superficies, seu extremitates craßitudinem habebunt, & lineæ latitudinem: denique puncta non erunt indiuidua, sed linearum partes. Prædicant Democritus atque Leucippus illas atomos suas, & indiuidua corpuscula. Concedit Xenocrates impartibiles quasdam magnitudines. Hic uerò Geometriæ fundamenta apertè petuntur, & funditus euertuntur: quibus dirutis nihil equidem aliud uideo restare, quàm ut amplißima Mathematicorum theatra repentè concidant. Iacebunt ergo, si dijs placet, tot præclara Geometrarum de asymmetris & alogis magnitudinibus theoremata. Quid enim causæ dicas cur indiuidua linea hanc quidem metiatur, illam uerò metiri non queat? Siquidem quod minimum in unoquoque genere reperitur, id cõmunis omnium mensura esse solet. Innumerabilia profectò sunt illa, quæ ex falsis eiusmodi decretis absurda cõsequuntur: & horum permulta quidem Mathematicus, sed longè plura colligit Physicus. Quid uaria ψευδογραφημάτων genera commemorem, quæ ex hoc uno fonte tam longè lateq; diffusa fluxisse uidentur? Notißimus est Antiphõtis tetragωnismus, qui Geometrarum & ipse principia non parum labefecit, cùm rectæ lineæ curuam posuit æqualem. Longum esset mihi singula percensere, præsertim ad alia properanti. Hoc ergo certum, fixum & in perpetuum ratum esse oportet, quod sapienter monet Aristoteles, σπουδαστέον ὅπως ὁρισθῶσι καλῶς αἱ ἀρχαί. μεγάλην γὰρ ἔχουσι ῥοπὴν πρὸς τὰ ἑπόμενα. Nam principijs illa congruere debent, quæ sequuntur. Quòd si tantum perspicitur in istis exilioribus Geometriæ initijs, quæ puncto, linea, superficie definiuntur, momẽtum, ut ne hæc quidẽ sine summo impẽdẽtis ruinæ periculo conuelli aut oppugnari poßint: quanta quæso uis putanda est huius στοιχειώσεως, quã collatis tot præstãtißimorum artificum inuẽtis, mira quadã ordinis solertia contexuit Euclides, uniuersæ Matheseως elemẽta cõplexu suo coërcentẽ? Vt igitur omnib. rebus instructior & paratior quisq; ad hoc studium libẽtius

accedat, & singula uel minutißima exactius secum reputet atque perdiscat, operæprecium censui in primo institutionis aditu uestibulóque præcipua quædam capita, quibus tota ferè Mathematicæ scientiæ ratio intelligatur, breuiter explicare: tum ea quæ sunt Geometriæ propria, diligenter persequi: Euclidis denique in extruenda hac στοιχειώσει consilium sedulò ac fideliter exponere. Quæ ferè omnia ex Aristotelis potißimum ducta fontibus, nemini inuisa fore cõfido, qui modò ingenuum animi candorem ad legendum attulerit. Ac de Mathematicæ diuisione primum dicamus.

Mathematicæ in primis scientiæ studiosos fuisse Pythagoreos, nõ modò historicorum, sed etiam philosophorum libri declarant. His ergo placuit, ut in partes quatuor uniuersum distribuatur Mathematicæ scientiæ genus, quarum duas περὶ τὸ ποσὸν, reliquas περὶ τὸ πηλίκον uersari statuerunt. Nam & τὸ ποσὸν uel sine ulla comparatione ipsum per se cognosci, uel certa quadam ratione comparatum spectari: in illo Arithmeticam, in hoc uersari Musicam: & τὸ πηλίκον partim quiescere, partim moueri quidem: illud Geometriæ propositum esse: quod uerò sua sponte motu cietur, Astronomiæ. Sed ne quis falsò putet Mathematicam scientiam, quòd in utroque quanti genere cernitur, idcirco inanem uideri (si quidem non solùm magnitudinis diuisio, sed etiam multitudinis accretio infinitè progredi potest) meminisse decet, τὸ πηλίκον καὶ τὸ ποσὸν, quæ subiecto Mathematicæ generi imposita sunt à Pythagoreis nomina, non cuiuscunque modi quantitatem significare, sed eã demum, quæ tum multitudine tum magnitudine sit definita, & suis circunscripta terminis. Quis enim ullam infiniti scientiam defendat? Hoc scitum est, quod non semel docet Aristoteles, infinitum ne cogitatione quidem complecti quenquam posse. Itaque ex infinita multitudinis & magnitudinis δυνάμει, finitam hæc scientia decerpit & amplectitur naturam, quam tractet, & in qua uersetur. Nam de uulgari Geometrarum consuetudine quid sentiendum sit, cum data interdum magnitudine infinita aut fabricantur aliquid, aut proprias generis subiecti affectiones exquirunt, disertè monet Aristoteles, οὐδὲ νῦν (de Mathematicis loquens) δέονται τοῦ ἀπείρου, οὐδὲ χρῶνται, ἀλλὰ μόνον εἶναι ὅσην ἂν βούλωνται πεπερασμένην. Quamobrem disputatio ea qua infinitum refellitur, Mathematicorum decretis rationibusq; non aduersatur, nec eorum apodixes labefacit. Etenim tali infinito opus illis nequaquã est, quod exitu nullo peragrari posit, nec talem ponunt infinitam magnitudinem: sed quantamcunque uelit aliquis effingere, ea ut suppetat, infinitam præcipiunt. Quinetiam non modò immensa magnitudine opus non habent Mathematici, sed ne maxima quidem: cum instar maximæ minima quæque in partes totidem pari ratione diuidi queat. Alteram Mathematicæ diuisionem attulit Geminus, uir (quantum ex Proclo conijcere licet) μαθημάτων laude clarißimus. Eam, quæ superiore plenior & accuratior fortè uisa est, cùm doctißimè pertractarit sua in decimum Euclidis præfatione P. Montaureus uir senatorius, & regiæ bibliothecæ præfectus, leuiter attingam. Nam ex duobus rerum uelut summis generibus, τῶν νοητῶν καὶ τῶν αἰσθητῶν, quæ res sub intelligentiam cadunt, Arithmeticæ & Geometriæ attribuit Geminus: quæ uerò in sensus incurrunt, Astrologiæ, Musicæ, Supputatrici, Opticæ, Geodæsiæ & Mechanicæ adiudicauit. Ad hanc certè diuisionem spectasse uidetur Aristoteles, cùm Astrologiam, Opticam, harmonicam φυσικωτέρας τῶν μαθημάτων nominat, ut quæ naturalibus & Mathematicis interiectæ sint, ac uelut ex utrisque mixtæ disciplinæ: Siquidem genera subiecta à Physicis mutuantur, causas uerò in demonstrationibus ex superiore aliqua scientia repetunt. Id quod Aristoteles ipse apertißimè testatur, ἐνταῦθα γὰρ, φησὶ. τὸ μὲν ὅτι, τῶν αἰσθητικῶν εἰδέναι, τὸ δὲ διότι, τῶν μαθηματικῶν. Sequitur, ut quid Mathematicæ conueniat cum Physica & prima Philosophia: quid ipsa ab utraque differat, paucis ostendamus. Illud quidem omnium commune est, quòd in ueri contemplatione sunt positæ, ob idq; θεωρητικαὶ à Græcis

cis dicuntur. Nam cùm διάνοια ſiue ratio & mens omnis ſit uel πρακτικὴ, uel ποιητικὴ, uel θεωρητικὴ, totidem ſcientiarum ſint genera neceſſe eſt. Quòd ſi Phyſica, Mathematica, & prima Philoſophia, nec in agendo, nec in efficiendo ſunt occupatæ, hoc certè perſpicuum eſt, eas omnes in cognitione contemplationéque neceſſariò uerſari. Cùm enim rerum non modò agendarum, ſed etiam efficiendarum principia in agente uel efficiente cõſiſtant, illarum quidem προαίρεσις, harum autem uel mens, uel ars, uel uis quædam & facultas: rerum profectò naturalium, Mathematicarum, atque diuinarum principia in rebus ipſis, non in philoſophis incluſa latent. Atque hæc una in omnes ualet ratio, quę θεωρητικὰς eſſe colligat. Iam uerò Mathematica ſeparatim cum Phyſica cõgruit, quòd utraque uerſatur in cognitione formarum corpori naturali inhærentium. Nã Mathematicus plana, ſolida, lõgitudines & puncta contẽplatur, quæ omnia in corpore naturali à naturali quoq; philoſopho tractãtur. Mathematica itẽ & prima philoſophia hoc inter ſe propriè cõueniunt, quòd cognitionẽ utraque perſequitur formarum, quoad immobiles, & à cõcretione materiæ ſunt liberæ. Nam tametſi Mathematicæ formæ re uera per ſe non cohærent, cogitatione tamen à materia & motu ſeparantur, οὐδὲ γίνεται ψεῦδος χωριζόντων, ut ait Ariſtoteles. De cognatione & ſocietate breuiter diximus. Iã

quid

quid intersit, uideamus. Vnaquæque mathematicarum certum quoddam rerum genus propositum habet, in quo uersetur, ut Geometria quantitatem & continuationem aliorum in unam partem, aliorum in duas, quorundam in tres: eorumq; quatenus quanta sunt & continua, affectiones cognoscit. Prima autem philosophia, cùm sit omnium communis, uniuersum Entis genus, quæq; ei accidunt & conueniunt hoc ipso quòd est, consyderat. Ad hæc, Mathematica eam modò naturam amplectitur, quæ quanquam non mouetur, separari tamen seiungique nisi mente & cogitatione à materia non potest, ob eamq; causam ἐξ ἀφαιρέσεως dici consueuit. Sed Prima philosophia in ijs uersatur, quæ & seiuncta, & æterna, & ab omni motu per se soluta sunt ac libera. Cæterùm Physica & Mathematica quanquam subiecto discrepare non uidentur, modo tamen rationéque differunt cognitionis & contemplationis, unde dißimilitudo quoque scientiarum sequitur. Etenim mathematicæ species nihil re uera sunt aliud, quàm corporis naturalis extremitates, quas cogitatione ab omni motu & materia separatas Mathematicus contemplatur: sed easdem consectatur physicorum ars, quatenus cum materia comprehensæ sunt, & corpora motui obnoxia circunscribunt. Ex quo fit, ut quæcunque in Mathematicis incommoditates accidunt,

eadem

eadem etiam in naturalibus rebus uideantur accidere, non autem uicißim. Multa enim in naturalibus sequuntur incommoda, quæ nihil ad Mathematicum attinent, διὰ τὸ, inquit Aristoteles, τὰ μὲν ἐξ ἀφαιρέσεως λέγεται, τὰ μαθηματικά, τὰ δὲ φυσικὰ ἐκ προσθέσεως. Siquidem res cum materia deuinctas cōtemplatur physicus: Mathematicus uerò rem cognoscit circunscriptis ijs omnibus quæ sensu percipiuntur, ut grauitate, leuitate, duritie, mollitie, & prætereà calore, frigore, alijsq; contrariorum paribus quæ sub sensum subiecta sunt: tantùm autem relinquit quantitatem & continuum. Itaque Mathematicorum ars in ijs quæ immobilia sunt, cernitur (τὰ γὰρ μαθηματικὰ τῶν ὄντων ἄνευ κινήσεώς ἐστιν, ἔξω τῶν περὶ τὴν ἀστρολογίαν) quæ uerò in naturæ obscuritate posita est, res quidem quæ nec separari nec motu uacare possunt contemplatur. Id quod in utroque scientiæ genere perspicuum esse potest, siue res subiectas definias, siue proprietates earum demōstres. Etenim numerus, linea, figura, rectum, inflexum, æquale, rotundum, uniuersa denique Mathematicus quæ tractat & profitetur, absque motu explicari doceriq; possunt: χωριστὰ γὰρ τῇ νοήσει κινήσεώς ἐστι: Physicæ autem sine motione species nequaquam possunt intelligi. Quis enim hominis, plantæ, ignis, oßium, carnis naturam & proprietates sine motu qui materiam sequitur, perspiciat? Siquidem tantisper sub-

stantia

stantia quæque naturalis cõstare dici solet, quoad opus & munus suum, agendo patiendoq; tueri ac sustinere ualeat: qua certè amissa δυνάμει, ne nomẽ quidem nisi ὁμωνύμως retinet. Sed Mathematico ad explicandas circuli aut trianguli proprietates, nullum adferre potest usum, materiæ ut auri, ligni, ferri, in qua insunt, consideratio: quin eò uerius eiusmodi rerum, quarum species tanquam materia uacantes efformemus animo, naturam complectemur, quòd coniunctione materiæ quasi adulterari deprauariq; uidentur. Quocirca Mathematicæ species eodem modo quo κοιλὸν, siue concauitas, sine motu & subiecto, definitione explicari cognosciq; possunt: naturales uerò cùm eam uim habeãt, quam, ut ita dicam, simitas, cum materia comprehensæ sunt, nec absque ea separatim possunt intelligi: quibus exemplis quid inter Physicas & Mathematicas species intersit, haud difficile est animaduertere. Illis certè non semel est usus Aristoteles. Valeant ergo Protagoræ sophismata, Geometras hoc nomine refellentis, q; circulus normam puncto non attingat. Nã diuina Geometrarum theoremata qui sensu æstimabit, uix quicq̃ reperiet quod Geometræ cõcedendum uideatur. Quid enim ex his quæ sensum mouent, ita rectum aut rotundum dici potest, ut à Geometra ponitur? Nec uerò absurdum est aut uitiosum, quòd lineas in puluere descriptas pro rectis aut rotundis assumit, quæ nec rectæ

sunt

*sunt nec rotundæ, ac ne latitudinis quidem expertes. Siquidem non iis utitur geometra quasi inde uim habeat conclusio, sed eorum quæ discenti intelligenda relinquuntur, rudem ceu imaginem proponit. Nam qui primum instituuntur, hi ductu quodam & uelut χειραγωγίᾳ sensuum opus habent, ut ad illa quæ sola intelligentia percipiuntur, aditum sibi comparare queant. Sed tamen existimandum non est rebus Mathematicis omnino negari materiam, ac non eam tantum quæ sensum afficit. Est enim materia alia quæ sub sensum cadit, alia quæ animo & ratione intelligitur. Illam αἰσθητὴν, hanc νοητὴν uocat Aristoteles. Sensu percipitur, ut æs, ut lingnum, omnisq; materia quæ moueri potest. Animo & ratione cernitur ea quæ in rebus sensilibus inest, sed non quatenus sensu percipiuntur, quales sunt res Mathematicorum. Vnde ab Aristotele scriptum legimus ἐπὶ τῶν ἐν ἀφαιρέσει ὄντων rectum se habere ut simum: μετὰ συνεχοῦς γάρ: qua si uelit ipsius recti, quod Mathematicorum est, suam esse materiam, non minus quàm simi quod ad Physicos pertinet. Nam licet res Mathematicæ sensili uacent materia, non sunt tamen indiuiduæ, sed propter continuationem partitioni semper obnoxiæ, cuius ratione dici possunt sua materia non omnino carere: quin aliud uidetur τὸ εἶναι γραμμῇ, aliud quoad continuationi adiuncta intelligitur linea. Illud enim ceu forma in*

materia, proprietatum causa est, quas sine materia per
cipere non licet. Hæc est societatis & dißidij Mathema
ticæ cum Physica & prima Philosophia ratio. Nunc
autē de nominis etymo & notatione pauca quædam af
feramus. Nam si quæ iudicio & ratione imposita sunt
rebus nomina, ea certè non temere indita fuisse creden-
dum est, quibus scientias appellari placuit. Sed neque
otiosa semp̄ haberi debet ista etymologiæ indagatio,
cùm ad rei etiam dubiæ fidem sæpe non parum ualeat
recta nominis interpretatio. Sic enim Aristoteles du-
cto ex uerborum ratione argumento, αὐτομάτου, μετα
βολῆς, αἰθέρος, aliarumq; rerum naturam ex parte cō
firmauit. Quoniā igitur Pythagoras Mathematicā sci
entiā nō modò studiosè coluit, sed etiam repetitis à ca-
pitè principijs, geometricam contemplationem in li-
beralis disciplinæ formam composuit, & perspectis abs
que materia, solius intelligētiæ adminiculo theorema
tibus, tractationem περὶ τῶν ἀλόγων, & κοσμικῶν
σχημάτων constitutionem excogitauit: credibile est,
Pythagorā, aut certè Pythagoreos, qui & ipsi doctoris
sui studia libenter amplexi sunt, huic scientiæ id nomē
dedisse, quod cum suis placitis atque decretis cōgrue-
ret, rerumq; propositarum naturam quoquo modo de
clararet. Ita cùm existimarēt illi omnē disciplinā, quæ
μάθησις dicitur, ἀνάμνησιν esse quandā .i. recordatio
nē & repetitionē eius sciētiæ, cuius antè quā in corpus

immi-

immigraret, compos fuerit anima, quemadmodum Plato quoque in Menone, Phædone, & alijs aliquot locis uidetur astruxisse: animaduerterent autem eiusmodi recordationem, quæ non posset multis ex rebus perspici, ex his potißimum scientijs demonstrari, si quis nimirum, ait Plato, ἐπὶ τὰ διαγράμματα ἄγῃ: probabile est equidem Mathematicas à Pythagoreis artes κατ' ἐξοχὴν fuisse nominatas, ut ex quibus μάθησις, id est æternarum in anima rationum recordatio διαφερόντως & præcipuè intelligi posset. Cuius etiam rei fidem nobis diuinus fecit Plato, qui in Menone Socratē induxit hoc argumēti genere persuadere cupientem, discere nihil esse aliud quàm suarum ipsius rationum animum recordari. Etenim Socrates pusionē quendā, ut Tullij uerbis utar, interrogat de geometrica dimensione quadrati: ad ea sic ille respondet ut puer, & tamen tam faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens, eodem perueniat, quò si geometrica didicisset. Aliam nominis huius rationem Anatolius exposuit, ut est apud Rhodiginum, quòd cùm cæteræ disciplinæ deprehendi uel nō docēte aliquo poßint omnes, Mathematica sub nullius cognitionem ueniant, nisi præeunte aliquo, cuius solertia succidantur uepreta, uel exurantur, & superciliosa complanentur aspreta. Ita enim Cælius: quod quam uim habeat, non est huius loci curiosius perscrutari. Equidem M. Tullius Mathe-

maticos

maticos in magna rerum obscuritate, recondita arte, multipliciq; ac subtili uersari scribit. sed quis nescit idipsum cum alijs grauioribus scientijs esse commune? Est enim, uel eodem auctore Tullio, omnis cognitio multis obstructa difficultatibus, maximaq; est & in ipsis rebus obscuritas, & in iudicijs nostris infirmitas: nec ullus est, modò interius paulò Physica penetrarit, qui non facilè sit expertus, quàm multi undique emergant, rerum naturalium causas inquirentibus, & inexplicabiles labyrinthi. Sunt qui ex demonstrationum firmitate nominari Mathematicas opinantur: cuius etiam rationis momentum alio seorsum loco expendendum fuerit. Quocirca primam uerbi notationem, quam sequutus est Proclus, nobis retinendam censeo. Hactenus de uniuerso Mathematicae genere, quanta potui & perspicuitate & breuitate dixi. Sequitur, ut de Geometria separatim atque ordine ea disseram, quae initiò sum pollicitus. Est autem Geometria, ut definit Proclus, scientia, quae uersatur in cognitione magnitudinum, figurarum, & quibus hae continentur, extremorum, item rationum & affectionum, quae in illis cernuntur ac inhaerent: ipsa quidem progrediens à puncto indiuiduo per lineas & superficies, dum ad solida conscendat, uariasq; ipsorum differentias patefaciat. Quùmque omnis scientia demonstratiua, ut docet Aristoteles, tribus quasi momentis contineatur, genere subiecto, cuius proprietates ipsa scientia exquirit & contemplatur: causis & principijs, ex quibus primis demonstrationes conficiuntur: & proprietatibus, quae de genere subiecto per se enunciantur: Geometriae quidē subiectum in lineis, triangulis, quadrangulis, circulis, planis, solidis, atque omnino figuris & magnitudinibus, earúmque extremitatibus consistit. His autem inhaerent diuisiones, rationes, tactus, aequalitates, παραβολαὶ, ὑπερβολαὶ, ἐλλείψεις, atque alia generis eiusdem propè innumerabilia. Postulata uerò & Axiomata ex quibus haec inesse demōstrantur, eiusmodi ferè sunt: Quouis cētro & interuallo circulum describere. Si ab aequalibus aequalia detrahas, quae relinquuntur esse aequalia, caeteráq; id genus pmulta, quae licet omnium sint cōmunia, ad demōstrandum tamen tum sunt accōmodata, cùm ad certum quoddā genus traducuntur. Sed cùm praecipua uideatur Arithmeticae & Geometriae inter Mathematicas dignatio, cur Arithmetica sit ἀκριβεστέρα & exactior quā Geometria, paucis explicandum arbitror. Hîc uerò & Aristotelem sequemur ducem, qui scientiam cum scientia ita cōparat, ut accuratiorem esse uelit eam, quae rei causam docet, quā quae rē esse tātùm declarat: deinde quae in rebus sub intelligentiam cadentibus uersatur, quàm quae in rebus sensum mouentibus cernitur. Sic enim & Arithmetica quàm

quàm Musica, & Geometria quàm Optica, & Stereometria quàm Mechanica exactior esse intelligitur. Postremò quæ ex simplicioribus initijs constat, quàm quæ aliqua adiectione compositis utitur. Atque hac quidem ratione Geometriæ præstat Arithmetica, quòd illius initium ex additione dicatur, huius sit simplicius. Est enim punctum, ut Pythagoreis placet, unitas quæ situm obtinet: unitas uerò punctum est quod situ uacat. Ex quo percipitur, numerorum quàm magnitudinum simplicius esse elementum, numerósque magnitudinibus esse puriores, & à concretione materiæ magis distunctos. Hæc quanquam nemini sunt dubia, habet & ipsa tamen Geometria quo se plurimum efferat, opibúsque suis ac rerum ubertate multiplici uel cum Arithmetica certet: id quod tute facilè deprehēdas cùm ad infinitam magnitudinis diuisionem, quam respuit multitudo, animum conuerteris. Nunc quæ sit Arithmeticæ & Geometriæ societas, uideamus. Nam theorematum quæ demonstratione illustrātur, quædam sunt utriusque sciētiæ communia, quædam uerò singularum propria. Etenim quòd omnis proportio sit ῥητὸς siue rationalis, Arithmeticæ soli conuenit, nequaquam Geometriæ, in qua sunt etiam ἄῤῥητοι, seu irrationales proportiones: item, quadratorum gnωmonas minimo definitos esse, Arithmeticæ proprium (si quidem

In Geometria nihil tale minimum esse potest) sed ad Geometriam propriè spectant situs, qui in numeris locum non habent: tactus, qui quidem à continuis admittuntur; ἄλογοι, quoniam ubi diuisio infinitè procedit, ibi etiam τὸ ἄλογον esse solet. Communia porrò utriusque sunt illa, quae ex sectionibus eueniunt, quas Euclides libro secundo est persequutus: nisi quòd sectio per extremam & mediam rationem in numeris nusquam reperiri potest. Iam uerò ex theorematibus eiusmodi communibus, alia quidem ex Geometria ad Arithmeticam traducuntur: alia contrà ex Arithmetica in Geometriam transferuntur: quaedam uerò perinde utrique scientiae conueniunt, ut quae ex uniuersa arte Mathematica in utranque harum conueniant. Nam & alterna ratio, & rationum conuersiones, compositiones, diuisiones hoc modo cõmunia sunt utriusque. Quae autem sunt περὶ συμμέτρων, id est, de commensurabilibus, Arithmetica quidem primùm cognoscit & contemplatur: secundo loco Geometria Arithmeticam imitata. Quare & commensurabiles magnitudines illae dicuntur, quae rationem inter se habent quàm numerus ad numerum, perinde quasi commensuratio & συμμετρία in numeris primùm consistat (Vbi enim numerus, ibi & σύμμετρον cernitur: & ubi σύμμετρον, illic etiam nnmerus) sed quae triangulorum sunt & quadrangulorum, à Geome-

Geometra primùm considerantur: tùm analogia quadam Arithmeticus eadem illa in numeris contemplatur. De Geometriæ diuisione hoc adijciendum puto, quòd Geometriæ pars altera in planis figuris cernitur, quæ solam latitudinem longitudini coniunctam habent: altera uerò solidas contemplatur, quæ ad duplex illud interuallum craßitudinem adsciscunt. Illā generali Geometriæ nomine ueteres appellarunt; hanc propriè Stereometriam dixerunt. Ita Geometriam cum Optica, & Stereometriam cum Mechanica non rarò comparat Aristoteles. Sed illius cognitio huius inuentionem multis seculis anteceßit, si modò Stereometriam ne Socratis quidem ætate ullam fuisse omnino uerum est, quemadmodum à Platone scriptum uidetur. Ad Geometriæ utilitatem accedo, quæ quanquam suapte ui & dignitate ipsa per se nititur, nullius usus aut actionis ministerio mancipata (ut de Mathematicis omnibus scientijs concedit in Politico Socrates) si quid ex ea tamen utilitatis externæ quæritur, Dij boni quàm lætos, quàm uberes, quàm uarios fructus fundit? Nec uerò audiendus est uel Aristippus, uel Sophistarum alius, qui Mathematicorum artes idcirco repudiet, quòd ex fine nihil docere uideantur, eiusq; quod melius aut deterius nullam habeant rationem. Vt enim nihil causæ dicas, cur sit melius, trianguli, uerbi gratia, tres angulos duobus esse rectis æqualet: minimè tamen fuerit consentaneum, Geometriæ cognitionem ut inutilem exagitare, criminari, explodere, quasi quæ finē & bonum quò referatur, habeat nullum. Multas haud dubiè solius contemplationis beneficio citra materiæ contagionē adfert Geometria cōmoditates partim proprias, partim cum uniuerso genere cōmunes. Cùm enim Geometria, ut scripsit Plato, eius quod semper est cognitionē profiteatur, ad ueritatem excitabit illa quidem animum, & ad ritè philosophandum cuiusque mentem comparabit. Quinetiam ad disciplinas omnes facilius perdiscēdas, attigeris nécne Geometriam, quanti referre cēses? Nā ubi cum materia cōiungitur, nónne præstātißimas procreat artes, Geodæsiā, Mechanicā, Opticam, quarum omnium usu, mortalium uitā summis beneficijs cōplectitur? Etenim bellica instrumenta, urbiúmque propugnacula, quibus munitæ urbes, hostium uim propulsarent, his adiutricibus fabricata est: montium ambitus & altitudines, locorúmque situs nobis indicauit: dimetiendorum & mari & terra itinerum rationē præscripsit: trutinas & stateras, quibus exacta numerorum æqualitas in ciuitate retineatur, composuit: uniuersi ordinem simulachris expreßit: multaque quæ hominum fidem superarent, omnibus persuasit. Vbique extant præclara in eam rem testimonia. Illud memorabile, quòd Archimedi rex Hiero tribuit. Nam extructo uasta

cto uaſtæ molis nauigio, quod Hiero AEgyptiorum
regi Ptolemæo mitteret, cum uniuerſa Syracuſano-
rum multitudo collectis ſimul uiribus nauem trahere
non poſſet, effeciſſétque Archimedes ut ſolus Hiero
illam ſubduceret, admiratus uiri ſcientiam rex ἀπὸ
ταύτης, ἔφη, τῆς ἡμέρας, περὶ παντὸς ἀρχιμήδῃ λέ-
γοντι πιστευτέον. Quid? quòd Archimedes idem, ut eſt
apud Plutarchum, Hieroni ſcripſit datis uiribus da-
tum pondus moueri poſſe? fretusq; demonſtrationis
robore, illud ſæpe iactarit, ſi terram haberet alteram
ubi pedem figeret, ad eam, noſtram hanc ſe transmo-
uere poſſe? Quid uaria αὐτομάτων machinarúmque
genera, ad uſus neceſſarios comparata memorem? In-
numerabilia profectò ſunt illa, & admiratiõe digniſ-
ſima, quibus priſci homines incredibili quodã ad phi-
loſophandum ſtudio concitati, inopem mortalium ui-
tam artis huius præſidio ſubleuarunt: tametſi memo-
riæ ſit proditum, Platonem Eudoxo & Archytæ ui-
tio uertiße, quòd Geometrica problemata ad ſenſilia
& organica abducerent. Sic enim corrumpi ab illis &
labefieri Geometriæ præſtantiam, quæ ab intelligi-
bilibus & incorporeis rebus ad ſenſiles & corpo-
reas prolaberetur. Quapropter ridicula idẽ ſcri-
pſit Plato Geometrarum eſſe uocabula, quæ quaſi ad
opus & actionem ſpectent, ita ſonare uidentur
Quid enim eſt quadrare, ſi non opus facere? Quid

 addere,

addere, producere, applicare? Multa quidem sunt eiusmodi nomina, quibus necessariò & tanquam coacti geometræ utuntur, quippe cùm alia desint in hoc genere commodiora. Sic ergo censuit Plato, sic Aristoteles, sic denique philosophi omnes, Geometriã ipsam cognitionis gratia exercendam, nec ex aliquo usu externo, sed ex rerum νοητῶν intelligentia æstimandam esse. Exposita breuius quàm res tanta dici poßit, utilitatis ratione, Geometriæ ortum, qui in hac rerum periodo ex historicorum monimentis nobis est cognitus, deinceps aperiamus. Geometria apud Aegyptios inuenta, (ne ab Adamo, Setho, Noah, quos cognitione rerum multiplici ualuisse constat, eam repetamus) ex terrarum dimensione, ut uerbi præ se fert ratio, ortum habuisse dicitur: cùm anniuersaria Nili inundatione & incrementis limo obducti agrorum termini confunderentur. Geometriam enim, sicut & reliquas disciplinas, in usu quàm in arte prius fuisse aiunt. Quod sanè mirum uideri non debet, ut & huius & aliarum scientiarum inuentio ab usu cœperit ac neceßitate. Etenim tempus, rerum usus, ipsa neceßitas ingenium excitat, & ignauiam acuit. Deinde quicquid ortum habuit (ut tradunt Physici) ab inchoato & imperfecto proceßit ad perfectum. Sic artium & scientiarum principia experientiæ beneficio collecta sunt: experientia uerò à memoria fluxit, quæ & ipsa

à senà sensu primùm manauit. Nam quod scribit Aristoteles, Mathematicas artes, comparatis rebus omnibus ad uitam necessarijs, in Aegypto fuisse constitutas, quòd ibi sacerdotes omnium concessu in otio degerēt: non negat ille adductos neceßitate homines ad excogitandam, uerbi gratia, terræ dimetiendæ rationem, quæ theorematum deinde inuestigationi causam dederit: sed hoc confirmat, præclara eiusmodi theorematum inuenta, quibus extructa Geometriæ disciplina constat, ad usus uitæ necessarios ab illis nō esse expetita. Itaque uetus ipsum Geometriæ nomen ab illa terræ partiundæ finiumq; regundorum ratione posteà receßit, & in certa quadan affectionum magnitudini per se inhærentium scientia propriè remansit. Quemadmodum igitur in mercium & contractuum gratiam, supputandi ratio, quam secuta est accurata numerorum cognitio, à Phœnicibus initium duxit: ita etiam apud Aegyptios, ex ea quam commemoraui causa ortum habuit Geometria. Hanc certè, ut id obiter dicam, Thales in Græciam ex Aegypto primùm transtulit: cui non paucæ deinceps à Pythagora, Hippocrate Chio, Platone, Archyta Tarentino, alijsq; compluribus, ad Euclidis tempora factæ sunt rerum magnarum acceßiones. Cæterùm de Euclidis ætate id solùm addam, quod à Proclo memoriæ mandatum accepimus. Is enim commemoratis aliquot Platonis tùm æqualibus tùm discipulis, subijcit, nõ multò ætate posteriorem illis fuisse Euclidem eum, qui Elementa cõscripsit, & multa ab Eudoxo collecta, in ordinem luculentum cõposuit, multáque à Theæteto inchoata perfecit, quæq; mollius ab alijs demonstrata fuerãt, ad firmissimas & certissimas apodíxes reuocauit. Vixit autem, inquit ille, sub primo Ptolemæo. Etenim ferunt Euclidẽ à Ptolemæo quondã interrogatum, nunquã esset uia ad Geometriã magis cõpendiaria, quàm sit ista στοιχείωσις, respondisse, μὴ εἶναι βασιλικὴν ἀτραπὸν ἐπὶ γεωμετρίαν. Deinde subiungit, Euclidẽ natu quidem esse minorem Platone, maiorem uerò Eratosthene & Archimede (hi enim æquales erant) cùm Archimedes Euclidis mentionem faciat. Quòd si quis egregiam Euclidis laudem, quam cùm ex alijs scriptionibus accuratissimis, tùm ex hac Geometrica στοιχειώσει cõsequutus est, in qua diuinus rerum ordo sapientissimis quibusque hominibus magnæ semper admirationi fuit, is Proclum studiosè legat, quò rei ueritatẽ illustriorẽ reddat grauissimi testis auctoritas. Superest igitur ut finem uideamus, quò Euclidis elementa referri, & cuius causa in id studium incumbere oporteat. Et quidem si res quæ tractantur, consideres: in tota hac tractatione nihil aliud quæri dixeris, quàm ut κοσμικὰ quæ uocãtur, σχήματα (fuit enim Euclides professione & instituto Platonicus) Cubus, Icosaẽdrum, Octaẽdrum, Pyramis & Dodecaẽdrum certa quadam suorum & inter se laterum, & ad sphaeræ diametrum ratiõe eidem sphæræ inscripta comprehendantur. Huc enim pertinet Epigrãmation illud uetus, quod in Geometricis Michaëlis Pselli συνόψει scriptum legitur.

Σχήματα πέντε Πλάτωνος, ἃ Πυθαγόρας σοφὸς εὗρε,
Πυθαγόρας σοφὸς εὗρε, Πλάτων δ' ἀρίδηλ' ἐδίδαξεν,
Εὐκλείδης ἐπὶ τοῖσι κλέος περικαλλὲς ἔτευξεν.

Quòd si discentis institutionem spectes, illud certè fuerit propositum, ut huiusmodi elementorum cognitione informatus discentis animus, ad quãlibet nõ modò Geometriæ, sed & aliarum Mathematicæ partium tractationem idoneus paratúsq; accedat. Nam tametsi institutionem hanc solus sibi Geometra uendicare uidetur, & tanquam in possessionem suam uenerit, alios excludere posse: inde tamẽ permulta suo quodãmodo iure decerpit Arithmeticus, pleraque Musicus, non pauca detrahit Astrologus, Opticus, Logisticus, Mechanicus, itémque cæteri: nec ullus est denique artifex præclarus, qui in huius se possessionis societatẽ cupidè non offerat, partémque sibi concedi postulet. Hinc στοιχείωσις absolutum operi nomen, & στοιχειωτὴς dictus Euclides. Sed quid longius prouehor? Nam quod ad hanc rem attinet, tam copiosè

erudi-

& eruditè scripsit (ut alia complura) eo ipso, quem dixi, loco P. Montaureus, ut nihil desiderio loci reliquerit. Quae uerò ad dicendum nobis erant proposita, hactenus pro ingenij nostri tenuitate omnia mihi perfecisse uideor. Nam tametsi & haec eadem & alia pleraque multo fortè praeclariora ab hominibus doctißimis, qui tùm acumine ingenij, tùm admirabili quodam lepôre dicendi semper floruerunt, grauiùs, splendidiùs, uberiùs tractari posse scio: tamen experiri libuit num quid etiam nobis diuino sit concessum munere, quod rudes in hac philosophiae parte discipulos adiuuare aut certè excitare queat. Huc accessit quòd ista recens elementorum editio, in qua nihil nõ parum fuisset studij, aliquid à nobis efflagitare uidebatur, quod eius commendationem adaugeret. Cùm enim uir doctißimus Io. Magnienus Mathematicarum artium in hac Parrhisiorum Academia professor uerè regius, nostrum hunc typographum in excudendis Mathematicorum libris diligentißimum, ad hanc Elementorum editionem saepè & multum esset adhortatus, eiusq; impulsu permulta sibi iam comparasset typographus ad hanc rem necessaria, citò interuenit, malùm, Ioannis Magnieni mors insperata, quae tam graue inflixit Academiae uulnus, cui ne post multos quidem annorum circuitus cicatrix obduci ulla posse uideatur. Quamobrem amisso instituti hu-

ius

ius operis duce, typographus, qui nec sumptus antea factos sibi perire, nec studiosos, quibus id muneris erat pollicitus, sua spe cadere uellet, ad me uenit, & impensè rogauit ut meam propositæ editioni operam & studium nauarem. quod cùm denegaret occupatio nostra, iuberet officij ratio: feci equidem rogatus, ut quæ subobscuræ uel parum commodè in sermonem latinum è græco translata uidebantur, clariore, aptiore & fideliore interpretatione nostra (quod cuiusque pace dictum uolo) lucem acciperent. Id quod in omnibus ferè libris posterioribus tute primo obtutu perspicias. Nam in sex prioribus non tantum temporis quantum in cæteris ponere nobis licuit: decimi autem interpretatio, qua melior nulla potuit adferri, P. Montaureo solida debetur. Atque ut ad perspicuitatem facilitatemq; nihil tibi deesse queraris, adscripta sunt propositionibus singulis uel lineares figuræ, uel punctorum tanquam unitatum notulæ, quæ Theonis apodixin illustrent: illæ quidem magnitudinum, hæ autem numerorum indices, subscriptis etiã ciphrarum, ut uocant, characteribus, qui propositum quemuis numerum exprimant: ob eamq; causam eiusmodi unitatum notulæ, quæ pro numeri amplitudine maius paginæ spatium occuparent, pauciores sæpius depictæ sunt, aut in lineas etiam commutatæ. Nam literarum, ut a, b, c, characteres non modò numeris & numero-

*rum partibus nominandis sunt accommodati, sed etiã generales esse nomerorum ut magnitudinum affectiones testantur. Adiecta sunt insuper quibusdam locis non pœnitenda Theonis scholia, siue mauis lemmata, quæ quidem longè plura accessissent, si plus otij & temporis uacui nobis fuisset relictum, quod huic studio impartiremus. Hanc igitur operam boni consule, & quæ obuia erunt impreßionis uitia, candidus emenda. Vale.*

Lutetiæ 4. Idus April. 1557.

FINIS.

# ΕΥΚΛΕΙ-
## ΔΟΥ ΣΤΟΙΧΕΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ.
# EVCLIDIS ELEMEN-
## TVM PRIMVM.

### ὅροι.

α

ΣΗμεῖόν ἐστιν, οὗ μέρος οὐθέν.

### DEFINITIONES.

1

Punctum est, cuius pars nulla est.

Punctum

•

β

Γραμμὴ δέ, μῆκος ἀπλατές.

2

Linea verò, longitudo latitudinis expers.




γ

Γραμμῆς δὲ πέρατα σημεῖα.

3

Lineæ autem termini, sunt puncta.

δ

Εὐθεῖα γραμμή ἐστιν, ἥτις ἐξ ἴσου τοῖς ἐφ' ἑαυτῆς σημείοις κεῖται.

# ΕΥΚΛΕΙΔΟΥ ΣΤΟΙΧΕΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ.

# EVCLIDIS ELEMENTUM PRIMUM.

## ὅροι.

α

Σημεῖόν ἐστιν, οὗ μέρος οὐθέν.

## DEFINITIONES.

1

Punctum est, cuius pars nulla est.

Punctum

β

Γραμμὴ δέ, μῆκος ἀπλατές.

2

Linea verò, longitudo latitudinis expers.




γ

Γραμμῆς δὲ πέρατα σημεῖα.

3

Lineæ autem termini, sunt puncta.

δ

Εὐθεῖα γραμμή ἐστιν, ἥτις ἐξ ἴσου τοῖς ἐφ' ἑαυτῆς σημείοις κεῖται.

4

Recta linea est, quæ ex æquo sua interiacet puncta.

ε

Ἐπιφάνεια, δὲ ἐστὶν, ὃ μῆκος καὶ πλάτος μόνον ἔχει.

5

Superficies est quæ longitudinem latitudinemque tantùm habet.



ς

Ἐπιφανείας δὲ πέρατα, γραμμαί.

6

Superficiei extrema, sunt lineæ.

ζ

Ἐπίπεδος ἐπιφάνειά, ἐστιν ἥτις ἐξ ἴσου ταῖς ἐφ᾽ ἑαυτῆς εὐθείαις κεῖται.

7

Plana superficies, est quæ ex æquo suas interiacet lineas.

η

Ἐπίπεδος δὲ γωνία ἐστὶν, ἡ ἐν ἐπιπέδῳ, δύο γραμμῶν ἁπτομένων ἀλλήλων, καὶ μὴ ἐπ᾽ εὐθείας κειμένων,

πρὸς

πρὸς ἀλλήλας τῶν γραμμῶν κλίσις.

8



Planus angulus eſt duarum linearum in plano ſe mutuò tãgentium, & nõ in directum iacentium, alterius ad alteram inclinatio.

θ

ὅταν δὲ αἱ περιέχουσαι τὴν γωνίαν γραμμαὶ, εὐθεῖαι ὦσιν, εὐθύγραμμος καλεῖται ἡ γωνία.

9

Cùm autem quæ angulum continent lineæ, rectæ fuerint, rectilineus ille angulus appellatur.

ι

ὅταν δὲ εὐθεῖα ἐπ' εὐθεῖαν σταθεῖσα, τὰς ἐφεξῆς γωνίας ἴσας ἀλλήλαις ποιῇ, ὀρθὴ ἐστιν ἑκατέρα τῶν ἴσων γωνιῶν: Καὶ ἡ ἐφεστηκυῖα εὐθεῖα κάθετος καλεῖται ἐφ' ἣν ἐφέστηκεν.

10

Cùm verò recta linea super rectam consistens lineam, eos qui sunt deinceps angulos æquales inter se fecerit: rectus est vterque æqualium angulorum: & quæ insistit recta linea, perpendicularis vocatur eius cui insistit.




ια

Ἀμβλεῖα γωνία ἐστὶν, ἡ μείζων ὀρθῆς.

11

Obtusus angulus est, qui recto maior est.

ιβ

Ὀξεῖα δὲ ἡ ἐλάσσων ὀρθῆς.

12

Acutus verò, qui minor est recto.

ιγ

Ὅρος ἐστὶν, ὅ τινός ἐστι πέρας.

13

Terminus est, quod alicuius extremum est.

ιδ Σχῆ-



ιδ

Σχῆμά ἐστι, τὸ ὑπό τινος, ἤ τινων ὅρων περιεχόμενον.

14

Figura eſt, quæ ſub aliquo, vel aliquibus terminis comprehenditur.

ιε

Κύκλος ἐστὶ σχῆμα ἐπίπεδον, ὑπὸ μιᾶς γραμμῆς περιεχόμενον, ἣ καλεῖται περιφέρεια, πρὸς ἥν, ἀφ' ἑνὸς σημείου τῶν ἐντὸς τοῦ σχήματος κειμένων, πᾶσαι αἱ προσπίπτουσαι εὐθεῖαι, ἴσαι ἀλλήλαις εἰσί.

15

Circulus eſt figura plana ſub vna linea comprehēſa, quæ peripheria appellatur: ad quā ab vno puncto eorum, quæ intra figuram ſunt poſita, cadentes omnes rectæ lineæ inter ſe ſunt æquales.



ιϛ

Κέντρον δὲ τοῦ κύκλου, τὸ σημεῖον καλεῖται.

16

Hoc verò punctum, centrum circuli appellatur.

ιζ

Διάμετρος δὲ τοῦ κύκλου ἐστὶν, εὐθεῖά τις διὰ τοῦ κέντρου ἠγμένη, καὶ περατουμένη ἐφ' ἑκάτερα τὰ μέρη ὑπὸ τῆς τοῦ κύκλου περιφερείας, ἥ τις καὶ δίχα τέμνει τὸν κύκλον.

17

Diameter autem circuli, eſt recta quædam linea per centrum ducta, & ex vtraque parte in circuli peripheriam terminata, quæ circulum bifariam ſecat.

ιη

Ἡμικύκλιον δὲ ἐστὶ, τὸ περιεχόμενον σχῆμα ὑπό τε τῆς διαμέτρου, καὶ τῆς ἀπολαμβανομένης ἀπὸ τῆς τοῦ κύκλου περιφερείας.

18

Semicirculus eſt figura, quæ continetur ſub diametro, & ſub ea linea, quæ de circuli peripheria aufertur.





ιθ Τμῆμα

ιθ

Τμῆμα κύκλου ἐστὶ τὸ περιεχόμενον ὑπό τε εὐθείας, καὶ κύκλου περιφερείας.

19

Segmentum circuli, est figura, quæ sub recta linea & circuli peripheria continetur.

κ

Εὐθύγραμμα σχήματά ἐστι, τὰ ὑπὸ εὐθειῶν περιεχόμενα.

20

Rectilineæ figuræ, sunt quę sub rectis lineis continentur.



κα

Τρίπλευρα μὲν, τὰ ὑπὸ τριῶν.

21

Trilateræ quidem, quæ sub tribus.

κβ

Τετράπλευρα δὲ, τὰ ὑπὸ τεσσάρων.

22

Quadrilateræ, quæ sub quatuor.

κγ

Πολύπλευρα δὲ, τὰ ὑπὸ πλειόνων ἢ τεσσάρων εὐθειῶν περιεχόμενα.

23

Multilateræ verò, quæ ſub pluribus quàm quatuor rectis lineis comprehenduntur.

κδ

Τῶν δὲ τριπλεύρων σχημάτων, ἰσόπλευρον μὲν τρίγωνόν ἐστι, τὸ τρεῖς ἴσας ἔχον πλευράς.

24

Trilaterarum porrò figurarum, æquilaterum eſt triangulum, quod tria latera habet æqualia.



κε

Ἰσοσκελὲς δὲ, τὸ τὰς δύο μόνας ἴσας ἔχον πλευράς.

25

Iſoſceles autem, eſt quod duo tantum æqualia habet latera.



κϛ

Σκαληνὸν δὲ, τὸ τὰς τρεῖς ἀνίσας ἔχον πλευράς.

26 Sca

26
Scalenum verò, est qđ tria inæqualia habet latera.



κξ

Ἔτι τε τῶν τριπλεύρων σχημάτων, ὀρθογώνιον μὲν τρίγωνόν ἐστι, τὸ ἔχον ὀρθὴν γωνίαν.

27

Ad hæc etiam, trilaterarum figurarũ, rectangulum quidem triangulum est, quod rectũ angulum habet.

κη

Ἀμβλυγώνιον δὲ, τὸ ἔχον ἀμβλεῖαν γωνίαν.

28

Amblygonium autem, quod obtusum angulum habet.

κθ

Ὀξυγώνιον δὲ, τὸ τρεῖς ὀξείας ἔχον γωνίας.

29

Oxygonium verò, quod tres habet acutos angulos.

λ

Τῶν δὲ τετραπλεύρων σχημάτων, τετράγωνον μέν ἐστι, ὃ ἰσόπλευρόν τέ ἐστι, καὶ ὀρθογώνιον.

30

Quadrilaterarum autem figurarũ, quadratũ qui dẽ eſt, qđ & æquilaterũ & rectangulũ eſt.

λα

Ἑτερόμηκες ἐστὶ, ὃ ὀρθογώνιον μὲν, οὐκ ἰσόπλευρον δέ.

31

Altera parte longior figura eſt, quæ rectangula quidem, at æquilatera non eſt.

λβ

Ῥόμβος ἐστὶ, ὃ ἰσόπλευρον μὲν, οὐκ ὀρθογώνιον δέ.

32

Rhombus autẽ, q̃ æquilaterũ & rectangulũ ẽ.





λγ

Ῥομβοειδὲς ἐστὶ, τὸ τὰς ἀπεναντίον πλευράς τε καὶ γωνίας ἴσας ἀλλήλαις ἔχον, ὃ οὔτε ἰσόπλευρόν ἐστιν, οὔτε ὀρθογώνιον.

33

Rhomboides verò, quæ aduerſa & latera & angulos habens inter ſe æqualia, neq; æquilatera eſt, neq; rectangula.

λδ Τὸ

λδ

Τὰ δὲ παρὰ ταῦτα τετράπλευρα, τραπέζια καλείσθω.

34

Præter has autem, reliquæ quadrilateræ figuræ, trapezia appellentur.



λε

Παράλληλοί εἰσιν εὐθεῖαι, αἵτινες ἐν τῷ αὐτῷ ἐπιπέδῳ οὖσαι, καὶ ἐκβαλλόμεναι ἐπ' ἄπειρον, ἐφ' ἑκάτερα τὰ μέρη, ἐπὶ μηδέτερα συμπίπτουσιν ἀλλήλαις.

35

Parallelæ rectæ lineæ ſunt quæ, cùm in eodem ſint plano, & ex vtraque parte in infinitum producantur, in neutram ſibi mutuò incidunt.

Αἰτήματα.

α

Ἠτήσθω, ἀπὸ παντὸς σημείου ἐπὶ πᾶν σημεῖον εὐθεῖαν γραμμὴν ἀγαγεῖν.

Poſtu-

Postulata.

I

Postuletur, vt à quouis puncto in quoduis punctum, rectam lineam ducere cõcedatur.

β

Καὶ πεπερασμένην εὐθεῖαν, κατὰ τὸ συνεχὲς ἐπ' εὐθείας ἐκβάλλειν.

2

Et rectam lineam terminatam in cõtinuum rectà producere.

γ

Καὶ παντὶ κέντρῳ, καὶ διαστήματι κύκλον γράφεσθαι.

3

In quouis centro & interuallo circulum describere.



Κοιναὶ ἔννοιαι.

α

Τὰ τῷ αὐτῷ ἴσα, καὶ ἀλλήλοις ἐστὶν ἴσα.

Communes notiones.

I

Quæ eidẽ æqualia, & inter se sunt æqualia.

β

Καὶ ἐὰν ἴσοις ἴσα προστεθῇ, τὰ ὅλα ἐστὶν ἴσα.

2

Et ſi æqualibus æqualia adiecta ſint, tota ſunt æqualia.

γ

Καὶ ἐὰν ἀπὸ ἴσων ἴσα ἀφαιρεθῇ, τὰ καταλειπόμενά ἐστιν ἴσα.

3

Et ſi ab æqualibus æqualia ablata ſint, quæ relinquuntur ſunt æqualia.

δ

Καὶ ἐὰν ἀνίσοις ἴσα προστεθῇ, τὰ ὅλα ἐστὶν ἄνισα.

4

Et ſi inæqualibus æqualia adiecta ſint, tota ſunt inæqualia.

ε

Καὶ ἐὰν ἀπὸ ἀνίσων ἴσα ἀφαιρεθῇ, τὰ λοιπά ἐστιν ἄνισα.

5

Et ſi ab inęqualibus ęqualia ablata ſint, reliqua ſunt inęqualia.

ϛ

Καὶ τὰ τοῦ αὐτοῦ διπλάσια, ἴσα ἀλλήλοις ἐστί.

6

Quæ eiuſdem duplicia ſunt, inter ſe ſunt æqualia.

ζ

Καὶ τὰ τοῦ αὐτοῦ ἡμίση, ἴσα ἀλλήλοις ἐστί.

7

Et quæ eiusdem sunt dimidia, inter se æqualia sunt.

η

Καὶ τὰ ἐφαρμόζοντα ἐπ᾽ ἄλληλα, ἴσα ἀλλήλοις ἐστί.

8

Et quæ sibi mutuò congruunt, ea inter se sunt æqualia.

θ

Καὶ τὸ ὅλον τοῦ μέρους μεῖζόν ἐστι.

9

Totum est sua parte maius.

ι

Καὶ πᾶσαι αἱ ὀρθαὶ γωνίαι ἴσαι ἀλλήλαις εἰσί.

10

Item, omnes recti anguli sunt inter se æquales.

ια

Καὶ ἐὰν εἰς δύο εὐθείας εὐθεῖα ἐμπίπτουσα, τὰς ἐντὸς καὶ ἐπὶ τὰ αὐτὰ μέρη γωνίας, δύο ὀρθῶν ἐλάσσονας ποιῇ, ἐκβαλλόμεναι αἱ δύο αὗται εὐθεῖαι ἐπ᾽ ἄπειρον, συμπεσοῦνται ἀλλήλαις ἐφ᾽ ἃ μέρη εἰσὶν αἱ τῶν δύο ὀρθῶν ἐλάσσονες γωνίαι.

11

Et si in duas rectas lineas altera recta incidens, internos ad easdemque partes angulos

gulos duobus rectis minores faciat, duæ illæ rectæ lineæ in infinitum productæ sibi mutuò incident ad eas partes, vbi sunt anguli duobus rectis minores.

ιβ

Καὶ δύο εὐθεῖαι, χωρίον οὐ περιέχουσιν.

12

Duæ rectæ lineæ spatium non comprehendunt.

Προτάσεις.

α

Ἐπὶ τῆς δοθείσης εὐθείας πεπερασμένης, τρίγωνον ἰσόπλευρον συστήσασθαι.

Problema 1. Propositio 1.

Super data recta linea terminata, triangulum æquilaterum constituere.




β

Πρὸς τῷ δοθέντι σημείῳ, τῇ δοθείσῃ εὐθείᾳ ἴσην εὐθεῖαν θέσθαι.

Problema 2. Propo-
sitio 2.




Ad datum punctum, datæ rectæ lineæ æqualem rectam lineam ponere.

γ

Δύο δοθεισῶν εὐθειῶν ἀνίσων ἀπὸ τῆς μείζονος τῇ ἐλάσσονι ἴσην εὐθεῖαν ἀφελεῖν.

Problema 3. Propo-
sitio 3.




Duabus datis rectis lineis inæqualibus, de maiore æqualem minori rectam lineam detrahere.

δ

Ἐὰν δύο τρίγωνα τὰς δύο πλευρὰς ταῖς δυσὶ πλευραῖς ἴσας ἔχῃ, ἑκατέραν ἑκατέρᾳ, καὶ τὴν γωνίαν τῇ γωνίᾳ ἴσην ἔχῃ τὴν ὑπὸ τῶν ἴσων εὐθειῶν περιεχομένην: καὶ τὴν βάσιν τῇ βάσει ἴσην ἕξει, καὶ τὸ τρίγωνον τῷ τριγώνῳ ἴσον ἔσται, καὶ αἱ λοιπαὶ γωνίαι ταῖς λοιπαῖς γωνίαις ἴσαι ἔσονται, ἑκατέρα ἑκατέρᾳ, ὑφ' ἃς αἱ ἴσαι πλευραὶ ὑποτείνουσιν.

Theorema primum. Propositio 4.

Si duo triangula duo latera duobus lateribus æqualia habeant, vtrunque vtrique, habeãt verò & angulum angulo æqualem sub æqualibus rectis lineis contentum: & basin

basi

baſi æqualem habebunt, eritq́; triangulum triangulo æquale, ac reliqui anguli reliquis angulis æquales erunt, vterque vtrique, ſub quibus æqualia latera ſubtenduntur.




*Τῶν ἰσοσκελῶν τριγώνων αἱ πρὸς τῇ βάσει γωνίαι ἴσαι ἀλλήλαις εἰσί. Καὶ προσεκβληθεισῶν τῶν ἴσων εὐθειῶν, αἱ ὑπὸ τὴν βάσιν γωνίαι ἴσαι ἀλλήλαις ἔσονται.*

## Theorema 2. Propoſitio 5.

Iſoſcelium triangulorũ qui ad baſim ſunt anguli, inter ſe ſunt æquales: & ſi vlterius productæ ſint æquales illæ rectæ lineæ, q̃ ſub baſi ſunt anguli, inter ſe æquales erunt.




ϛ

*Ἐὰν τριγώνου αἱ δύο γωνίαι ἴσαι ἀλλήλαις ὦσι, καὶ αἱ ὑπὸ τὰς ἴσας γωνίας ὑποτείνουσαι πλευραὶ ἴσαι ἀλλήλαις ἔσονται.*

Theorema 3. Propositio 6.

Si trianguli duo anguli æquales inter se fuerint: & sub æqualibus angulis subtensa latera æqualia inter se erunt.




ζ

Ἐπὶ τῆς αὐτῆς εὐθείας, δυσὶ ταῖς αὐταῖς εὐθείαις ἄλλαι δύο εὐθεῖαι ἴσαι ἑκατέρα ἑκατέρᾳ οὐ συσταθήσονται, πρὸς ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ σημείῳ, ἐπὶ τὰ αὐτὰ μέρη, τὰ αὐτὰ πέρατα ἔχουσαι, ταῖς ἐξ ἀρχῆς εὐθείαις.

Theorema 4. Propositio 7.

Super eadem recta linea, duabus eisdem rectis lineis aliæ duæ rectæ lineæ æquales, vtraque vtrique, non constituentur, ad aliud atque aliud punctum, ad easdem partes, eosdemque terminos cum duabus initio ductis rectis lineis habentes.







η

Ἐὰν δύο τρίγωνα τὰς δύο πλευρὰς ταῖς δυσὶ πλευραῖς ἴσας ἔχῃ, ἑκατέραν ἑκατέρᾳ, ἔχῃ δὲ καὶ βάσιν τῇ βάσει ἴσην: καὶ τὴν γωνίαν τῇ γωνίᾳ ἴσην ἕξει

τὴν

τὴν ὑπὸ τῶν ἴσων εὐθειῶν περιεχομένην.

## Theorema 5. Propositio 8.

**Si duo triangula duo latera habuerint duobus lateribus, vtrunque vtrique, æqualia, habuerint verò & basim basi æqualem: angulũ quoque sub æqualibus rectis lineis contentum angulo æqualem habebunt.**




θ

Τὴν δοθεῖσαν γωνίαν εὐθύγραμμον δίχα τεμεῖν.

## Problema 4. Propositio 9.

**Datum angulum rectilineum bifariam secare.**




ι

Τὴν δοθεῖσαν εὐθεῖαν πεπερασμένην, δίχα τεμεῖν.

Problema 5. Propoſitio 10.




Datam rectam lineam finitam bifariam ſecare.

ια

Τῇ δοθείσῃ εὐθείᾳ, ἀπὸ τοῦ πρὸς αὐτῇ δοθέντος ση-
μείου, πρὸς ὀρθὰς γωνίας εὐθεῖαν γραμμὴν ἀγα-
γεῖν.

Problema 6. Propoſitio 11.




Data recta linea, à pũcto ĩ ea dato, rectam lineam ad angulos rectos excitare.

ιβ

Ἐπὶ τὴν δοθεῖσαν εὐθεῖαν ἄπειρον, ἀπὸ τοῦ δοθέν-
τος σημείου, ὃ μή ἐστιν ἐπ' αὐτῆς, κάθετον εὐθεῖαν
γραμμὴν ἀγαγεῖν.

Problema 7. Propoſitio 12.




Super datam rectam lineam infinitam, à dato puncto

cto quod in ea nõ est, perpendicularem rectam deducere.

ιγ

Ὡς ἂν εὐθεῖα ἐπ' εὐθεῖαν σταθεῖσα, γωνίας ποιῇ, ἤτοι δύο ὀρθὰς, ἢ δυσὶν ὀρθαῖς ἴσας ποιήσει.

Theorema 6. Propositio 13.



Cùm recta linea super rectam consistens lineã angulos facit, aut duos rectos, aut duobus rectis æquales efficiet.

ιδ

Ἐὰν πρός τινι εὐθείᾳ, καὶ τῷ πρὸς αὐτῇ σημείῳ, δύο εὐθεῖαι μὴ περὶ τὰ αὐτὰ μέρη κείμεναι, τὰς ἐφεξῆς γωνίας δυσὶν ὀρθαῖς ἴσας ποιῶσιν, ἐπ' εὐθείας ἔσονται ἀλλήλαις αἱ εὐθεῖαι.

Theorema 7. Propositio 14.



Si ad aliquam rectam lineam, atque ad eius punctũ, duæ rectæ lineæ non ad easdem partes ductæ, eos qui sunt deinceps angulos duobus rectis æquales fecerint, in directum erunt inter se ipsæ rectæ lineæ.

ιε

Ἐὰν δύο εὐθεῖαι τέμνωσιν ἀλλήλας, τὰς κατὰ κορυφὴν γωνίας ἴσας ἀλλήλαις ποιοῦσι.

Theorema 8. Propositio 15.




Si duæ rectæ lineæ se mutuò secuerīt, angulos qui ad verticem sunt, æquales inter se efficient.

ιϛ

Παντὸς τριγώνου μιᾶς τῶν πλευρῶν ἐκβληθείσης, ἡ ἐκτὸς γωνία, ἑκατέρας τῶν ἐντὸς καὶ ἀπεναντίον, μείζων ἐστίν.

Theorema 9. Propositio 16.




Cuiuscunq; trianguli vno latere producto, externus angulus vtroq; interno & opposito maior est.

ιζ

Παντὸς τριγώνου αἱ δύο γωνίαι, δύο ὀρθῶν ἐλάσσονές εἰσι, πάντῃ μεταλαμβανόμεναι.

Theorema 10. Propositio 17.




Cuiuscunque trianguli duo anguli duobus rectis sunt minores omnifariā sumpti.

ιη

Παντὸς τριγώνου ἡ μείζων πλευρὰ τὴν μείζονα γω-

νίαν

νίαν ὑποτείνει.

Theorema 11. Propositio 18.




Omnis trianguli maius latus maiorem angulũ subtendit.

ιθ

Παντὸς τριγώνου ὑπὸ τὴν μείζονα γωνίαν ἡ μείζων πλευρὰ ὑποτείνει.

Theorema 12. Propositio 19.




Omnis trianguli maior angulus, maiori lateri subtenditur.

κ

Παντὸς τριγώνου αἱ δύο πλευραὶ, τῆς λοιπῆς μείζονές εἰσι, πάντῃ μεταλαμβανόμεναι.

Theorema 13. Propositio 20.




Omnis trianguli duo latera reliquo sunt maiora, quomodocũq; assumpta.

κα

Ἐὰν τριγώνου ἐπὶ μιᾶς τῶν πλευρῶν ἀπὸ τῶν περάτων δύο εὐθεῖαι ἐντὸς συσταθῶσιν, αἱ συσταθεῖσαι, τῶν λοι πῶν τοῦ τριγώνου δύο πλευρῶν ἐλάττονες μὲν ἔσονται, μείζονα δὲ γωνίαν περιέξουσι.

